

Simon Paulli Johann Heling

Disputatio Inauguralis De Variolis Et Morbillis

Rostochi[i]: Pedanus, [1635]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn727378732>


Druck Freier  Zugang




1635



AH
27





DISPUTATIO INAUGURALIS
De
VARIOLIS ET
MORBILLIS,

Quam
DEO DUCE ET AUSPICE,
Jussu & scitu Collegij Medici, in anti-
quâ Rostochiensium Academiâ,

*Pro summis artis Medicæ Insignibus, &
Docturæ honoribus impetrandis,*

PRÆSIDE


Viro Clarissimo,

DN. SIMONE PAULLI,
Med. Doct. ac Profess. ordin. pu-
blicæ ventilationi submittit

M. JOHANNES HELINGUS,

*In Auditorio Majori, ad diem quin-
tum Martij,*

Anni currentis 1635.



ROSTOCHI,

Litteris JOACHIMI PEDANI, Acad. Typ.

REVERENDISSIMO, ILLUSTRISSI-
MO, & CELSISSIMO PRINCIPI AC
DOMINO,

DNO. ADOLPHO FRIDERICO,
Administratori Episcopatus Sveri-
nensis, Duci Megapolitano, Principi Vanda-
lorum, Comiti Suerini, Rostochii ac Stargardiæ Domino,
Domino suo CLEMENTISSIMO,

Nec non

Admodum Reverendis, Magnificis & Nobilissimis
VIRIS,

Dno. OTTONI ab ESTORPH, Præposito,
in Bernstädt/

Dno. ULDRICO à WACKERBARTH,
Decano, in Rogel/

Dno. VOLRADO à PLESSEN, Seniori,
in Grossenhoffe/

Dno. BALTHASARO à BOTHMAR,
Subseniori, in Lowenbrücke/respective
Toparchis & Dominis Hæreditarijs,


Ut & reliquis DOMINIS CANONICIS
venerandi CAPITULI SUERINENSIS

Patronis & Favoritibus suis suscipiendis,

Subjectissimæ observantiæ, & offi-
ciosæ benevolentæ declarandæ ergo,
Εὐχῆς ἡσὺν hanc inauguralem humiliter
& observanter

Dicat & offert

JOHANNES HELINGUS
Autor & Respondens.



DISPUTATIO INAUGURALIS
DE VARIOLIS ET MORBILLIS.



Orbos non eloquentiâ, sed remedijs curari, quæ si quis elinguis usu discreta benè norit, hunc aliquantò majorem medicum futurum, quàm si sine usu linguam suam excoluerit, Celsi, inter Latinos medici optimi & vetustissimi, optima est sententia. Nam verissimè ab eodem dici, ne agricolam quidem disputatione, sed usu fieri, nemo negare potest, si consideret, monitore Galeno, parũ nos sollicitos de nominibus esse debere, quibus rerum scientiam invenire sit propositum; Quando, ut ille inquit, non ex horum exquisitâ impositione, sed ex appo sitis remedijs ægro salus contingat. Ne itaq; in ipso portu, de variolis & morbillis acturi, quod dicitur, impingere videamur; Primò omnium verbosas nonnullas quæstiones; *An hi morbi Græcis noti fuerint, nec ne? an v. Græcorum minq; accuratâ solertiâ neglecti, recentati fuerint Arabum observatione & studio? An v. deniq; illorum seculo post epidemicam quandâ*

constitutionē primū nati, postea à parentibus morbidis longè latèq; per liberos sint propagati, ut proin hac spes nobis reliqua sit, vel ut ex toto tandem finiantur, vel ut saltem in aliquos mitiores convertantur? & hisce congeneres, utpote quæ ad melius sanandum nobis nihil conferunt, adeoq; Gale-
no, com. pri. lib. 1. prorrheticor. Sect. 33. p. 645, liquidis verbis Sophistica appellantur, præteribimus, & rem ipsam tantum, seu rationem eos curandi, Deo benedicente, brevissimè explicabimus.

THESIS I.

DEfiniuntur autem morbilli & variolæ, quod illi sint efflorescentiæ, hæ pustulæ, in cute apparentes, ortæ ex febrili ebullitione impuri sanguinis, qui in utero matris primò collectus, & post in corpore aliquandiu servatus, deinceps vel per se, proprio naturæ motu, vel ex peculiari Aeris dispositione, & instigatione, in circumferentiam illius propellitur.

II. Genus proximum hujus morbi efflorescentiæ, vel pustulæ dicuntur. Et si autem ratione Febris, quam ut comitem individuum secum trahit, ad Tertium rerum præternaturalium genus, referri possit, ac Symptoma sensibilis Qualitatis, quatenus corpus ægri calore,
inten-

3

intenso, rubore sensibili, & asperitate parili, perfundit, definiri possit: Attamen cum pustula hæ, re ipsa morbi sint malæ conformationis, & solutæ unitatis, & sæpe etiam Febris illius, quæ aliàs comitatur, causæ existât, affectû hunc magis Morbum, quam Symptoma, dicendum esse duximus.

III. Exanthemata & Pustulæ, etsi in pluribus convenire videntur; tamen non levis earum differentia reperitur: Differunt enim

IV. Primò, Nominibus. Nam Pustularum Nomina, tam Græca quam Latina, quanquam à Medicis sæpius confundantur, & unum pro altero accipiatur; tamen nos cum rectè sentientibus nostri ævi scriptoribus, Morbillos, Græcè *ἐξασθήματα* dictos, quia instar florum rubrorum efflorescentes, maculis exilibus purpureis, cutem quasi pingunt & obsident, Germanicè *die Maselen* appellamus: Variolas autè, Græcis *ἐκθύματα* & *ἐξορμαίν*, ab erumpendo, Germanicè *die Blattern/ Kinder Pocken* vocamus.

V. Differunt secundò Causâ materiali: Nam morbilla à subtiliori, calidiori, & pauciori; Variolæ autem à crassiori & copiosiori materiâ proveniunt.

VI. Tertiò signis, tempore eruptionis clari-

4
rioribus. Nam in ortu Morbillorum plures ex oculis profluunt lacrymæ, & acriores sunt ut plurimum, quàm in Variolis. In Morbillis major pectoris angustia, & ardor febrilis magis affigit, ob humoris, à quo proveniunt, qualitatem. In variolis autem major dorsi est dolor, propter majorem materiæ peccantis redundantiam. Morbilli deniq; subito plærumq; & omnes simul egrediuntur: Variolæ autem tardius ac successivè, modo in hæc, modo in illâ parte prorumpere solent.

VII. Quartò Malitiâ: Morbilli enim propter acrimoniam Materiæ & fervoris abundantiam variolis sunt deteriores: Quare & Pesti magis cognati habentur.

VIII. Quintò, Formâ Exteriori: Aliæ enim præsertim variolæ magnæ, multæ, & profundæ, aliæ parvæ, paucæ vel superficiales, pro materiæ copiâ minore vel majore: Aliæ albæ, rubicundæ, subflavæ, lividæ, violaceæ, subnigræ, coloris varij: Aliæ sicciore, dictæ die **Stein Pocken**: Aliæ humidiores, quarû Aliæ pus in se cõtinent, & dicuntur **Eiter Pocken** / Aliæ Jchorem, die **Wasser Pocken** / Aliæ humiditate ferè carent, dictæ die **Wind Pocken**.

IX. Pars affecta, morbo jam factò, sensibus facilè

5
facilè depræhenditur, quæ cutis est; quamquam
πρωτον παχον, & primum huj9 morbi subjectum,
sint ipsæ solidæ corporis partes, in quibus mor-
bosa illa dispositio, quæ indè à primo ortu con-
tracta est, latet, & sanguinem humanum etiam
optimum inquinat & inficit. Unde viscera o-
mnia interiora, ut Jecur, Pulmones, Aspera ar-
teria, Ventriculus, Diaphragma &c. ab ejus-
modi pustulis non sunt immunia; ut non tan-
tum in dissectione mortuorum corporum re-
pertum fuit, sed & crustæ variolarum, quas ex
thorace tussi, sæpeq; cum excrementis alui eje-
ctas vidimus, idem attestantur. Nam natura
quidem ea, quæ sibi molesta & inimica sentit, ex-
pellit, atq; ad partem imbecilliolem propellit.
Ubi autem illa copiosiora longè & crassiora,
quàm pro modo Naturæ fuerint, ea, in interio-
ribus Visceribus, & in carnibus cuti substratis
relinquit, quæ postea ulcerum, scabiei, alio-
rumq; adfectuum causæ existunt.

X. Causa hujus morbi, licet perplexa sit &
κρивоμένη, atq; aliam Arabes, eorumq; sectatores,
aliam Latini amplexentur: tamen utraq; cum
sit ponderosa, & rationibus non levibus nita-
tur, has conjungendo, Causam Morbillorum
& Variolarum Duplicem statuimus, Internam
& Externam.

II. In-

6
XI. Inter has causa primaria, quæ interna dicitur, duplex est, & vel *προηγμένη* seu antecedens, & mediata; vel immediata, quæ continens & *συνεκτική* alijs appellatur, nimirum *Particula sanguinis materni indicibili modo corruptæ*, quas Embryo una cum sanguine meliori pro nutrimento, ad sustentationem sui, & partium corporis fabricationem idoneo, ad se trahit. Quamquam enim fœtus ad sui Nutritionem semper ab initio optimum sanguinem attrahat, tamen impossibile est, præsertim mensibus posterioribus, quin non unà cum bono sanguine, vitiosi humoris, quo prægnantes abundant, partem participet.

XII. Et cum prægnantes, maturos partus, edidisse, hæc lue perfulos, quorum aliqui nihil omninò foris, alij non nisi multis post diebus istius incommoda senserunt; Imò aliquos infantes, statim post ortum, hoc morbo laborasse observatum sit; In utero præter modò ditas sanguinis materni particulas, alia causa dari non potest: Unde in ætate puerili hic morbus præ adultioribus est familiarior. Nam in illâ ætate labes ex utero contracta, adhuc est recentior, & humorum morbidorum major copia, Naturaq; ad recipiendum ex contagio Seminarium aptior.

13. In-

XIII. Interna Mediata five antecedens, est effervescentia sanguinis impuri in corpore humano. Natura enim vel per se, vel copiâ depravatâq; qualitate stimulata, vel aliâ externâ causâ commota, instar musti recentis, ebullitionem excitat, impurum à puro separat, seq; ab eo, etiam minutissimis Corporis partibus permixto, exonerat.

XIV. Et hic naturæ motus non incommodè Criticus dicitur: Sæpè enim accidunt morbi acuti, quos cum alijs vijs terminare nesciat Natura, finit per Morbillos vel Variolas. Atque hinc est, quod hunc morbum Febris quædam, si non aperta, tamen occulta semper comitetur. Nam æstus ille sanguinis etiam Cordi præternaturaliter communicatur: Et hinc illud vulgare: Febrim faciunt variolæ, & Febris facit variolas.

XV. Altera causa hujus morbi dicitur *contagium*, Externa, alijs Evidens, Remota: quæ se trifariam subdividit. Prima est Alimentum, quo vescitur homo jam natus, impuritatem hanc adaugere, putredinemque & humorum corruptionem promovere, aptum natum.

XVI. Secunda est contagium, seu conversatio cum illis, qui variolis & morbillis laborant;

B

rant;

8
rant, cum alter ab altero *μιάσματα* ista facilè hau-
riat, quæ in corpore *ἀναλόγη* fomitis rationem
habentia, dispositionem impuram in utero
contractam, in actum deducunt, & ebullitio-
nem accelerant.

XVII. Tertia Cœlestis censetur.
Nempe tanta aeris alteratio in suis qualitati-
bus, ut ad corruptionem vel putrefactionem
trahatur: Uti continui imbres, & asidui austri-
ni venti, qui plurimis morbis generandis occa-
sionem præbent. Etenim inter anni status,
siccitates temperatæ, imbris omninò sunt
salubriores. Hipp. l. 3. Aph. 15 & 16.

XVIII. Vel & Maligna Syderum cœlique
dispositio, determinatam hanc humorum cor-
ruptionem corporibus vel inducens, vel im-
puritatem latentem commovens & ebullire
faciens, Naturamq; instigans, ut id, quod san-
guinè inquinavit, sibiq; molestum est, protenus
secernat, secretumq; per modum Criseos, ad
ambitum corporis expellat, & tam pro causæ
corrumpentis, quam humoris corrupti qua-
litate, vel morbillos, vel variolas in cute o-
stendat. Quæ causæ tamen non semper co-
incidunt.

XIX. Quare & duplices dantur efflorescen-
tiæ

tiæ ac pustulæ, aliæ Epidemiæ, (quales semper
 statuit Fernelius) quæ citra omne dubium ab
 aere, enormiter corrupto, producantur: Quan-
 do scilicet tanta ejus est malignitas, quanta ad
 humorum illis generandis necessariorum in-
 quinationem sufficit, quam etiam non in uno
 vel altero, sed pluribus excitat, eâq; multos
 simul infestat: Quales Epidemiæ pestilentiam,
 sæpissimè antecedunt & prænunciant; Imò
 non tantum nunciij sunt, sed nonnunquam Pe-
 stis naturam planè induunt, pluresq; infantes
 & adultos morti tradunt.

XX. Aliæ porrò sunt sporadicæ, dum Na-
 tura commota, hanc expulsionem perficit;
 nosque & sparsim, privatimque, modò hunc,
 modò illum, ex propriâ cujusq; dispositione,
 hoc morbo tentari videmus.

XXI. Huc faciunt & Balnea calida, com-
 messationes, & quæcunq; calorem, in corpore,
 ad hunc morbum, inclinante, accendere pos-
 sunt: Præsertim Exercitationes corporum in-
 tempestivæ, h. e. quæ fiunt corpore impuro, &
 à cibo, quæ pustulas, Scabiem & ulcera pariunt:
 Hippoc. 6, Epid. Comm. 5. t. 34. Videatur et-
 iam Galenus, Comm. 5. lib. 1. Epid. sect. 19. p.
 476, & Paulus Ægineta, capite 16, lib. 1. de re



med. Hæc de causis sufficiunt, à quibus ad signa rectà progredimur,

XXII. Quæ sunt vel Diagnostica, vel prognostica: Diagnosticorum alia ipsas Variolas & Morbillos, alia horum causam; alia locum affectum, ceu digito nobis ostendunt.

XXIII. Ipsas autem pustulas tria Symptomatum genera potissimum detegunt. Actiones læsæ, quando scilicet sentitur & percipitur Cephalalgia, cum gravedine oculorum, temporum & frontis pulsatione, propter ascendentes vapores ebullientis sanguinis, in venis majoribus, perturbata in somnia, deliria, Symptomata comitialia, à vaporibus, qui elevantur à materiâ effervescente: Pruritus narium & aurium: Sternutatio, oscitatio & pandiculatio crebra, ob vaporosum sanguinem, qui inter cutem & carnem delitescit: Tussis sicca, vel à vaporibus ad asperam arteriam delatis, vel etiam pustulis ibidem erumpentibus, naturam & facultatem expultricem stimulantibus: Peripneumonia dolorifica, ob copiam vaporum, qui aeri trahendo vix transitum concedunt: Cordis angustia & palpitatio, propter vapores calidos & fetidos, facultati vitali infestos: Dolor dorsi, ob humores æstuentes in venâ cavâ, quæ dorso
alli-

11
alligatur; Pruritus & punctiones universi corporis, ob fervorem materiæ, suâ acuitate membra vellicantis, & per cutem transitum molientis: Alvus adstricta, seu ad excernendum pigra: Tremor pedum & manuum &c.

XXIV. Excreta mutata: Videlicet, lacrymarum ex oculis profluvium involuntarium, vel ob acrimoniam vaporum, oculorum tunicas vellicantium; vel ob humiditatem aqueam, quæ à sanguinis ebullitione colligitur; Hamorrhagia narium, vomitus à materiâ, vel vaporibus, ventriculum stimulantibus: Urina sanorum urinis plarumq; est similis, aurea & perspicua: interdum tamen aliquantulum turbata, propter summam humorum perturbationem & ebullitionem. At si Febris valdè ardeat, rubra est & crassa, cum Nubeculis & coronâ rubeâ, ex biliosâ humorum evaporatione, &c. Alvus nonnunquam est obstructa, si Natura aliò humorem peccantem abigit. Quod si diarrhæa superveniat, malum est, & quidem toto morbi cûrriçulo, sed hoc potius ad prognostica, quàm diagnostica signa pertinet.

XXV. Qualitates mutatæ. Quippe si manifesta adsit Febris, Facies rubet, sæpissimè oculorum splendor & fulgor est flammeus, pro-

pterebullientem sanguinem, cujus vapores ad superiora feruntur: Vocis adest Raucedo, propter acres humores & vapores, asperam arteriam transeuntes; vel ob pustulas ibidem exorientes; oris item siccitas & fitis, quas Febris causatur, sæpè molesta est.

XXVI. Signa causarum, ex quibus pustulæ gignuntur, pro varietate sanguineæ massæ, quadruplici Coloris etiam diversitate distinguuntur & cognoscuntur. Nam ubi à sanguine ortum habuerint, rubescunt magis, & colore, pruritu, ac dolore discernuntur: Si à Bile, cum flavedine rubescunt, & per spiceum colorem dignoscuntur, cum puncturâ, acumine, inquietudine, & siti majore. A Pituitâ albescunt, & squamas emittunt. Ab Atrâ bile livorem habent cum nigredine. Nonnūquam violaceæ, virides, lividæ & nigre videntur, si scilicet humores magis corrupti sunt.

XXVII. Signa locorum, in quibus præter Cutem resident hæ pustulæ, ex actionibus læsis & qualitatibus mutatis addiscuntur: Cujus læsionis modus, & diversitas Accidentium, ex antecedentibus non difficulter colligitur: quibus ceu minus principale signum, ætas, & tempus anni annumeratur.

XXVIII. Quod tempus attinet, quo Variola & Morbilli, frequentius grassantur, sanè ut morborum Genus omne, ita & hi Morbi omnibus anni temporibus existere possunt. Hipp. l. 3. Aph. 19. Attamen certum est, vernum & Autumnale tempus, præsertim si Æstas pluviosa & Hyems tepida cum ventis australibus præcesserint, ad gignendos hosce morbos esse fecundius.

XXXIX. Licet etiam infantes & pueri gulosi, quorum corpora porosa sunt, magis huic morbo sint obnoxij: tamen nec adulti, & qui annum ætatis 20. 30. 40. 50. 60. attigerunt, ab hoc morbo penitus sunt liberi, ut experientia docuit; imò hi, propter cutis crassitiam, & densitatem & virtutis imbecillitatem, magis pueris & infantibus periclitantur.

XXX. Atque hæc illa ipsa sunt signa, quæ Morbum Variolarum & Morbillorum, horum causas, locumque affectum demonstrant. Quæ omnia enumerata etsi non simul in uno ægroto appareant, sed in hoc nunc illud, apud alterum aliud; in illo plura, in hoc pauciora, secundum subjecti & causæ varietatem reperiantur: tamen certum est, Variolas ut & Morbillos, absque his nunquam occurrere. Quamobrem si pluraq; horum

horum ab ægris percipiuntur, eaque circa diem tertium ingravescant, pustulas prædicere poterimus, magisque, si eo tempore grassentur, aut æger cum alio aliquo pustulis laborante sit conversatus; Præsertim si & maculæ prorumpant, quæ circa diem tertium vel quartum in altum extolluntur, undè fiunt, cæteris paribus, Variolæ; vel in latum extenduntur, undè Morbilli.

XXXI. Hæc de signis Diagnosticiis sufficiunt: sequuntur Prognostica, cum autem hic morbus Morbillorum & Variolarum, ad morbos acutos pertinet, quorum prædictiones non omnino certæ sunt; Hipp. l. 2. aph. 19. Symptomata illorum exactissime sunt animadvertenda, ut sciamus, quemnam exitum Morbus iste sit habiturus: Idem nos docebunt, Morbi ipsius Qualitas, & Robur patientis.

XXXII. Sumuntur ergo signa, & Bona & Mala, ex collatione morbi, hujusque Symptomatum, cum ægri viribus. Si itaque r. Citò prorumpant, in locis ignobilioribus, & confestim ad maturitatem properent, bonum; ostendunt enim vires ægri constantes & fortes. E contra si non citò emergunt, & vel jam apparent, jam occultantur, malum est; ob debilem enim

15
enim patientis virtutem mali humores ad cor
remeant. Deindè securius seu melius est, jux-
ta Avicennam, ut sit Febris, dein Variolæ, quàm
sint Variolæ præcedentes, dein sequatur eas, &
accedat super eas Febris. Avicenn. l. 4. Fen. 1.
~~De~~ c. 6. p. 71. to. 2.

XXXIII. Variolæ, quæ initio rubræ, mox
autem se in altum extollunt, & molles, candi-
dæ, albæ, rotundæ, & disjunctæ sunt, meliores
judicantur; Pejores autem depressæ, duræ, vi-
rides, colorem violarum referentes, latæ, &
quæ ita contiguæ sunt, ut fermè unam effi-
ciant, vel si una supra aliam exoriatur: osten-
dunt enim materiæ peccantis copiam: Sic etiam
valdè pruriginosæ & ardentes, & quarum fœ-
tor abominabilis, malæ: Omnium pessimæ
sunt nigræ, aut in quarum medio nigra macula
apparet; rursus deteriores, plures, quàm pau-
ciores: Deterrimæ verò sunt Epidemicæ &
Pestilenciales, quæ tantam sæpè humorum cor-
ruptionem in se habent, ut Vermes sub crustis
Variolarum repertos, & ipsa solida ossa à mali-
gnitate variolarum arrosa fuisse, observatum
sit.

XXXIV. Quin & qui alvo vel suppressâ,
vel moderatè molli sunt, evadunt. Econtra qui
C diarrhœâ,

16
diarrhœa, dysœteriâ, & vomitib9, totius decursu morbi, vexantur, exitio traduntur. Urina etiam nigra, & cruenta lethalis est.

XXXV. Omnia hæc Symptomata vel morbo propria, vel supervenientia, multaque alia, comparantur ad vires ægri; si itaque præcessit coctio, si facultates, Animalis, Vitalis & Naturalis, robustæ sint, si Febris lenior, facilior spiratio, cæteraq; omnia mediocria, salubres papulas judicamus: Ex adverso exitiales; v. g. si virtuti debili adjungantur Febris malignitas, sitis vehemens, æstus, dispnœa, Angina, lipothymia, convulsio, vigilia, item somnus nimius, delirium, & extremorum frigus, aliaque antedicta.

XXXVI. Atq; eadem ferè Morbillorum quoque est ratio, qui etsi suâ naturâ deteriores videantur, tamen citius judicantur, atq; modò ægri, & astantes officium suum faciant, citius remittunt & evanescent; Tantum de signis tam diagnosticis, quàm prognosticis. Sequitur Curatio.

XXXVII. Variolas verò & Morbillos aggressuris considerandum, vel ut præservent, vel ut scætes illis decenter curent. De præservatione pauca præmittemus, quæ ut ritè insti-

17

instituat, duo observanda veniunt: *Primò*,
Morbi mos. Prænosendum enim an ille sit
Benignus, vel Malignus. Si enim malignus vi-
deatur, & plurimi moriantur, velut in ipsâ peste,
tunc etiam in hoc morbo, aerem mutare com-
modum est, & à locis ægrotorum, & ab illis, qui
alijs ægris custodiam adhibent, est cavendum.
E contrario si benignus, qui plarumq; etiam
sporadicus, & diverso tempore, nunc hunc,
nunc illum infantem invadit, aer non mute-
tur, præsertim verno & æstivo tempore: Cum
nihilominus, alio & quidem fortè periculoso-
ri tempore, idem Morbus, Generi huma-
no, (ut communis fert sententia,) inevita-
biliter sustinendus, etiam fugaces adfligere
possit.

XXXVIII. *Secundò, Subjectum*. Qui ergo ab
hoc morbo sibi metuit, si sit plethoricus, venæ
sectionem tempestivè instituat; si cacochymi-
cus, Cathartico leniori utatur, quò mali hu-
mores, qui morbum exasperant, subtrahantur.
Bonam deindè Diætam observet, quæ Sex re-
rum non naturalium legitimo usu absolvitur.
Deniq; alexipharmaca mitiora, & malignitatem
oppugnantia adhibeat, ut Natura Arte roborata,
postea in expellendo hoste sit fortior: Quæ

sola gravidis sufficiunt, nisi plethoricæ & ad-
suetæ sint venæ sectioni: Lactentibus prodest,
ut Nutrices quolibet mense, Lunâ decrescente,
purgans lene, seu vinum Medicatum per inter-
valla bibant, & cibis concoctu facilibus ve-
scantur. Medicamenta plura quod attinet,
ex sequentibus desumantur. Quibus enim cu-
ramus, iisdem quoque præservamus, inquit
Celsus.

XXXIX. In pustulis curandis, sunt qui
cum vulgo nihil agendum, sed totum opus Na-
turæ committendum, & Medici eorumq; auxi-
lia vitanda arbitrantur: id verò perperam fieri
eventus ægrotorum lamentabilis, cum dolore
superstitum, sæpius attestatur. Quanquam au-
tem in suo modo benignis, interdum operosa
curatione opus non sit: certū tamen est, his non
semper adulandum, sed potius gratâ manu illa,
quæ Deus & Natura nobis suppeditarunt, reme-
dia accipienda; Qualia ex libris Medicorum
petuntur triplicia, videlicet diætâ, chirurgia,
& pharmaciâ, quibus citò, tutò, jucundè ex
Gal. sententiâ 14. m. m. cap. 13. p. 352. utatur
Medicus, sciatq; juxta Hippoc. sexto epidemior.
Sect. 2. aph. 25. quando, quomodo, & ubi cura-
tio

19
tio molienda, ut proficit tantum, nunquam
autem obfit.

XL. His generalibus præmissis, nunc ipsi
operi manus adjungemus: Quando itaq; Vario-
las instare, earumq; signa Pathognomonica quis
perceperit, modò ætas, plethora, vires, cõsuetu-
do, tempusque postularint, phlebotomia o-
mnium primò, & quidem sine omni morâ, insti-
tui debet. Quam summè ea enim sit necessa-
ria, ipsa natura attestatur, dum ab onere suo se-
se liberasse, per narium sæpe visa sit stillici-
dium: Quod etiã ut nequaquam, nisi ex-
cesserit, cohibendum; ita &, si Natura in profū-
dendo sanguine paulò segnior fuerit, arti-
ficiosè est promovendū, loco phlebotomiæ, setas
porcinas naribus immittendo.

XLI. Secari autem debet vena in brachio
dextro, illa, quæ vulgo Mediana, aliàs com-
munis dicitur. Hæc enim ex omnibus
partibus supra umbilicum positis æqualiter
evacuat.

XLII. Quod si quis à Venæ sectione abhor-
reat, scarificatione in cruribus & brachijs cum
fructu uti possumus.

XLIII. Si verò sanguis non abundet, aut
ætas tenerior phlebotomiam non ferat, ad præ-

cavendam alvi obstructionem, & majorem humorum corruptionem, pharmacis blandis est utendum, veluti sunt vinum, vel cerevisia laxativa, infusum fol. senæ, vel Rhabarb. agarici, jalappæ in aquis Fumarix aut Endiviæ, aut aliâ convenienti, in cujus colaturâ, pro re natâ, vel manna soluta sit, vel Syrupus Cichorei cum Rhabarb. vel Syrup. Rosarum, aut violarum solutivus: quin nec suppositoriorum usus omninò negligi debet; præsertim apud infantes.

XLIV. Clysteres etiam summè commendantur, & quidem adeò, ut etiam multis alijs præferantur, qui pro infantibus ex jure carni, decocto prunorum &c. confici possunt. Pro adultioribus autem aliquantò erunt fortiores, ex herbis emollientibus, quibus & purgantia, & olea convenientia admisceri possunt. In initio verò morbi istorum usus ineatur, ne Naturæ motum remoremur, vel & diarrhœam lethalem excitemus: in progressu morbi conservetur alvus modicè astringentibus, nisi fortassis humorum putridorum vel quantitas vel qualitas adsit, aut & Febris comiteretur, ipseque æger ex eruptione pustularum nullum levamen sentiat: quo casu purgans aliquod medicamen-

24
camentū decenter propinabitur, vel & Clyster idoneus iniicietur. Cavendum autem à purgantibus fortioribus, præsertim Scammoniatis, toto morbi hujus curriculo.

XLV. Interea dum hæc ita peraguntur, summo studio observentur duo: 1. Temperies humorum: si enim cum Febri magnâ, & fervore sanguinis vehementi, morbus incipiat, his quamprimum refrigerantibus & modicè adstringentibus est occurrendum, ut ebullitio sanguinis mitigetur, & putredo prohibeatur, ne fervor hic delirium, cephalalgiam, syncope, aliâq; inducat gravia Symptomata. Mitigatio autem hæc perficitur syrupo fragorum, vel ex succo acetosæ, ana part. æqual. mistis, vel Syrupogranatorum, limonum, citri, Roob de berber. de Ribib. Aut sumatur frustulū aliquod de morsulis citri, vel ex succo Ribium: Præscribantur etiam conservæ Rosarum rubr. Nymphæ, Bugloss. inprimis radices Cichorij vel Scorzoneræ conditæ, itemq; cortices citri cond. Hic etiam profunt Manus Christi cū perlis, Rotulæ diamargariti frigidi, Diatragacanthi frigid. Trochisci de camphorâ, de spodio, idq; genus similia.

XLVI. Secundò, Naturæ ratio habeatur,
an

22
an scilicet in expellendis pustulis officio suo satisfaciat, nec ne. Si satis fortis videatur, ei multis medicamentis expellentibus molesti non sumus, ne horum usu humores nimium exagitantur, Febrisq; augeatur: Sin minus Natura fecerit, quod suum est, sitque dies tertius prætergressus, eam adjuvare convenit, ijs medicamentis, quæ ad cutem propellant, sudoresq; moveant, quibus tamen semper Medicus pro suâ prudentiâ, & Febris conditione, refrigerantia, & modicè astringentia immisceat; nam ita attemperato calore virtus plærumq; in agendo fit fortior: Unde refrigerantia sæpè solum sufficiunt. Notandum tamen, ut hæc simul aperiendi vim habeant, veluti sunt, Cichoriū, Acetosa, succus Citri, syrupi acidi, oxySaccharum & similia.

XLVII. Medicamenta autem Diaphoretica quod attinet, inter ea primum locum quidam adscribunt lapidi Bezoar orientali, conveniente dosi, in aquâ Cardui benedicti, aut simili sumpto. Nos ζj vel dimidiam cornu cervi sine igne calcinati, vel Terræ sigillatæ strigensis, non infeliciter exhibuimus. Laudatur etiam semen Aquilegiæ & raparum albarum, in aquâ Fumariæ vel & aliâ propinatum, item semē Nasturtij

sturtij hortensis, quod mulierculis nostratibus familiare est, quo tamen propter summam caliditatem & acrimoniam decenter utendum, nec quod fieri solet, cum vino agrote dandum.

XLVIII. Congruunt hisce, suasq; vires pariformiter exserunt, decocta radicum Scorzonerae, aut Ficum, cum radice & semine faxniculi, quae insignem pra alijs expellendi vim habent: Deinde seminis & radic. apij, Anisi, Napi, pimpinellae, Herbarum capillarium, florum Calendulae, croci: Qui crocus sane mirabilis est in expulsionem pustularum, dolorem sedando, & Venenositati resistendo. Imo & Theriaca, Mithridatium, Aquae, quae pestilenciales, vel theriacales dicuntur, robustioribus, & quando malignitas insignis, humorumque corruptio subest, cum fructu dantur. Quod etiam fieri oportet, cum hic morbus praeter morem suum hyberno tempore grassatur, quo & Rotulae ac confectio liberantis, scordium, folia & semina Cardui benedicti. Cortices Citri, Radices Angelicae, Diptamni albi, Tormentillae usurpari, uti & Decocta hydrotica, aut Diaphoretica, ferè ut in peste, tuto dari & exhiberi possunt.

XLIX. Ubi infantes pustulis corripuntur, uti in alijs, sic etiam in hoc morbo, Curatio ad

atrob

D

Nu-

Nutricem præcipuè dirigenda, cui, præscriptâ diatâ, & corpore expurgato, lac corrigatur, Venâ fecerur, & potiones præscriptæ in magnâ quantitate frequenter adhibeantur. Quia porrò varia variorum Symptomatum syndrome, in hoc morbo, etiam evenire solet; quorum alia eruptionem pustularum antecedunt, alia comitantur, alia sequuntur, de ijs distinctè membra- timq; nunc agemus.

L. Antecedere eruptionem solent. 1. Epilep-
 sia, quæ si coincidar, ut ibiud plarumq; præ-
 fertim apud infantes, contingit, Expellentiz
 cum spiritu florum Tiliæ admixtrentur, aut
 decocto Ficum, flores Tiliæ, & similia Ceph-
 lica, immisceantur: quin & Radix pæoniæ ma-
 seulæ, cum femine contusa, & in petiâ ligata, pro
 amuleto utilissimè illis appenditur. 2. Vigi-
 lia, terrores nocturni, delirium, curabun-
 tur, fervorem sanguinis restinguendo, de qui-
 bus supra scripsimus. 3. Syncope, à quâ nullo alio
 remedio, quàm expellentibus, simulq; maligni-
 rati resistantibus, eamq; corrigentibus, cor, fons
 vitæ, & sedes spirituum vitalium, liberabitur.
 4. Observatus est etiam in nonnullis, convul-
 sivus motus, quo laborantium membra à Va-
 riolis obsessa, brachia scilicet, pedes, & Spina
 dorfi,

21
dorsi, contra omnem voluntatem, hæc illæc mi-
serè torquebantur; quibus congruis medica-
mentis ex praxi desumendis occurritur. 3. Cu-
tis summa durities, ut eam pustulæ penetrare
& permeare non possint, relaxantibus, h. e. de-
cocto florum Camomillæ, Meliloti, & aliorum
emollientium, emendabitur; & dorsum, ut &
artus, oleo Amygdalarum amararum, cum suc-
co Rutæ, Vinoq; albo & Theriacâ ana p. æqual.
fomentabuntur. In quorum omnium sympto-
matum, morbum antecedentium, sublacione,
observandum, ut à Lentium esu planè absti-
neamus; quia lentum & viscosum sanguinem
generant, & prædictis malis, materiam & ansam
majorem præbent, ac suppeditant.

LI. Symptomata graviora, quæ comitari
pustulas solent, hæc sunt: I. Oculorum dolor
& rubedo, & tandem occlusio. Quare consul-
tum, ut semper aliquis ægrotanti smaragdum
inspiciendum administret, & circum oculos du-
cat: hæc enim gemma occultâ qualitate ocu-
lum præservat, ne vis contagij ad illum serpat;
idem quoq; aurum Ungaricum præstat. Aquæ
etiam ophthalmicæ, & collyria apta applicen-
tur, & quidem ab initio morbi, quæ infrigi-
dant & repellunt. Deindè si penitus claudan-
tur,

rur, lacte muliebri calido foveantur & emol-
 liantur: Vel decocto malvæ cum seminibus li-
 ni & Cytoneorum. Quod si post istiusmodi
 inflammationes, majora oculorum mala conspi-
 ciantur, initio sanguis recens Columbarum,
 cum aquâ rosarum calidè mixtus, & per lin-
 teum trajectus usurpetur, postea necessitate re-
 quirente, fortiora media sunt adhibenda, de
 quibus apud praticos uberius. Hæc autem &
 alia collyria plumâ columbæ albæ utilius & fe-
 licius administrari, sunt qui autumant.

LII. Secundò, Faucium inflammatio; quæ
 corrigitur collutione oris & faucium, aquâ
 hordei, cum Diamoro & Syrupo violarum per-
 mistis, aut etiam sero Caprino Chalybeato. 3.
 Si pulmones afficiantur, & rufsis molesta sit, ijs
 medentur Syrupi pectorales & alia bechica. 4. La-
 biorum asperitas lavigatur mucilage Sem-
 lini & Cytoneorum cum aquâ malvæ paratâ,
 5. Narium obstructio præpedietur, si ab initio
 æger olfaciat acetum rosaceum, cum pulvere
 Santalorum, flor. Rosarum & violarum mistû:
 vel si aqua Rosarum, in quâ camphoræ aliquot
 grana soluta sint, in nares subindè attrahatur.
 Facto jam morbo, adimitur crusta ex narib. oleo
 amygdalarum dulcium, vel butyro non salito,
 cum

27
cum aquâ Rosarum loto: vel lacte muliebri, si æger hoc frequenter attrahat: ubi tamen animadvertendum, si per hæmorrhagiam narium crisis futura sit, ab his & ejusmodi alijs abstinendum, ne opus naturæ impediatur. 6. Aures prurientes manibus non fricentur, sed leniantur decocto malvæ & meliloti. 7. Stomachi ardor curatur Julepo rosaceo, vel Syrupo Ribium & Berberum, cum confectioe Alkermes, si cordis roborandi causâ requiratur, invicem permistis.

LIII. Symptomata, quæ consequentia dicuntur, & eruptas pustulas, jamq; ad maturitatem tendentes insequuntur, sunt. 1. Nimia humiditas Variolarum: Nam si satis fuerint progressæ, & jam maturæ, atq; vel apertæ, vel non apertæ, in quibus tamen multa residet humiditas, exsiccari possunt aquâ falsâ, cui tantillum croci addi solet, quæ dein linteo excipi, ipsisq; pustulis utiliter imponitur. Quod si verò metus sit, ne ulcerosæ fiant, aperiatur stilo, vel aciculâ aureâ, & aquâ præcedenti laventur.

LIV. 2. Diarrhœa si superveniat, videntum, an ægrum debilitet, aliàs si qualia purgari oportet, excludantur, ægerq; perferat alacriter, ut cum Hipp. loquamur, permittenda est.

27
Sin contra, præveniendum: ostendit enim per
venenosam illam materiam, ex quâ ortæ erant
Variolæ, intrò versam, membra colliquari.
Quare ab initio, dum adhuc vires aliquantò
validiores sunt, materiam illam medicamentis
benedictis & lenientibus movere & purgare;
Deindè astringentibus benignis, & malignitati
resistentibus uti cōvenit, qualia sunt semina a-
cetosæ, Citri & Endiviæ, quæ in jusculis vel bro-
diis, vel aquâ convenienti cocta, additis Syrti-
pis acetositatis citri, vel Cytoniorum oppidò
profunt. Lac amygdalatum cum lacte bubulo
paratum, in quo mastix vel tragacanthum de-
coquitur, idem utiliter præstat, nec improba-
tur vinum granatorū, cum pulvere cornu cer-
vini, vel alces, Philosophicè præparati: Aliquã-
do etiam Lumbricos cum Variolis conjunctos
vidimus: Quod si fiat, nullum salubrius medi-
camentum dari potest alexiterijs sæpè enume-
ratis, inter quæ & Bezoar quibusdam commen-
datur. Nam generatio vermium maximam
humorum corruptionem arguit: Quare si den-
tur ea, quæ specificâ qualitate malignitati resi-
stunt, etiam simul lumbrici necabuntur. Quod
si autem Diarrhœa hæc in Dysenteriam degene-
ret, Clysteres & alia ejusmodi convenientia,
postu-

postulat necessitas: Quæ omnia Medicus præ-
sens pro suâ prudentiâ adornabit.

LV. Quod si præterea etiam alia varij generis
symptomata, pro cujusq; ægrotantis privatâ in-
dole, ingruant, & Variolarum eruptionem se-
quantur, illa ut singulares affectus, singularem
quoq; sui curationem requirunt.

LVI. Coronidis loco de Cicatricibus & ve-
stigijs Variolarum paucula adijcere placet, quo-
rum cura perficitur, si ab initio, justo modo &
tempore, aqua illa exsiccans adhibeatur: Aut si
oleo amygdalarum dulcium crustæ inungantur.
Deindè si prohibeatur, ne unguibus Ægrotan-
tium, variolæ lacerentur, & crustæ decerpan-
tur. Tandè etiâ si ad fædos nævos, & vestigia in-
amæna, post cupulas relictas, illa, quæ conduce-
re Experientia sæpe docuit, adhibeantur. Sunt
autem decoctum furfurum farinæ tritici, sicut
& aqua florum omnium, & florum fabarum cum
Tartari albissimi, Lapid. Calamin. & sulphuris
Citriini portiunculâ: Sunt qui solo lardo faciẽ
fædam obtegunt, & cicatrices eo feliciter cu-
rari promittunt. Quod autem fieri non potest,
si, ut nonnullis arridet, lardum in aquâ Rosa-
rum lavetur; ita enim illius sal extrahitur, &
vis exsiccans omnis ei adimitur: E contra tamen

præ-

præstans est remedium, lardo tosto & postea oleo ovorum imbuto, faciem multoties perungere: ubi simul observandum, qui ex Variolis surrexerunt, & dictis remedijs utuntur, ne illi, spacio aliquot septimanarum, auræ cæloq; patienti se committant, sed cutem rarefactam ab illius injuriâ studiosè defendant.

LVII. Cum ergo pustulæ, h. e. Variolæ & Morbilli, tantis & tam varijs periculis conjunctæ sint, ut cautiores in omnis generis Exanthematum curatione simus, inq; Diaphoreticorum & Cardiacorum Medicamentorum usu, à principio morbi, usq; ad finem, cōstanter perseverem, necessum est, idq; exactè observandum. Nam ex solo cordialiū usu pustulas protrusas & curatas sæpè vidimus. Contra varijs modis peccari hic assolet, si 1. more vulgi, Medicamenta omninò non adhibeantur: Vel 2. si serò nimis, Naturâ à morbo victâ: 3. vel quod *ἀμερόδως* agri illis utantur, & quidem si, præsertim initio, mera calefacientia adhibeant, vel statim ad Topica abeant: vel 4. in usu Medicamentorum ad perfectam sanitatem non persistant.

LVIII. Clausulæ loco neq; & hoc prætereundum esse duxi, agro jam pristinæ sanitati restituto, & viribus recuperatis, conducibile esse, ut
 purgans

21
purgans aliquod Medicamentū illi propinetur,
& si plethora adsit, vena secetur, quò humor vi-
scosus in corpore adhuc reservatus, educatur, &
omnis novi alicujus morbi causa & origo pro-
hibeatur: oraculo quippe digna sentētia Hipp.
est, quā 4to. epid. p. 1030. docetur, illa recidivā
adferre solere, quæ post judicationem in mor-
bis relinquuntur; quæ iterum lib. 2. epid. sect. 2.
aph. 12. legitur.

LIX. Quòd porrò superius Thesi 39. dictum,
Medicum doctum & prudentem, triplici auxiliij
genere, suam medicationem perficere, id ipsum
& h. l. in memoriam est revocandum. Cum ergo
hactenus de duobus prioribus, cheirurgiā scili-
cet & Pharmaciā, pro eo, quo par fuit modulo,
egerimus, ordo postulat, ut & de Diætā, quæ ter-
tium auxiliiorū genus suppeditat, prout institu-
ti nostriratio postulat, pauca adjungam. Diætæ
enim tanta est necessitas & energia, ut sine hâc
omnis reliqua medicatio mutila sit & manca: è
contra, hâc sæpe solā multi morbi leniantur &
curentur. Non autem ad Diætā tamen tantū perti-
nent, quæ de cibo & potu tradi possunt, sed &
Reliquæ Res non Naturales, ut vocantur.

LX. Quam primum ergò Variolarum vel Mor-
billorū signa diagnostica se produnt, initio mor-
bi, Primò, agrū in Aere moderato & temperato
E confer-

conservem9, â frigore diligentissimè tueamur, ne pori obstruantur, Naturæ motus retrahatur, & ægrotus in certissimum mortis periculum incurrat. Cum autem Variolæ jam apparere incipiunt, Aer magis ad caliditatem vergat, fenestris & cubiculorum januis probè clausis; lucidus tamen sit, clarus & minimè turbatus. Neq; etiam plus justo incalescat, ne inde Febris augeatur, & vires resolvantur: Quare si præ caliditate videatur lingua nigrescere, anhelare ægrotus, Syncope corripitur, corrigendus aer ex rosas frigidis, fantalis, aceto & similibus: Tegatur quoq; patients pannis scarlatinis. Hic tamen observandum r. Ne panni ante tertium quartumve diem adhibeantur, dein, ne cuti nudæ admoveantur; Ante dictum enim tempus, materia expellenda nondum cocta est, & præparata satis; deinde & vis quædam adstrictoria illis inest.

LXI. Secundò. Cum & inter morbos acutos recenseantur Exanthemata, cibus liquidis & cōcoctu facilibus primo morbi tempore regendus est patients, utatur jusculis ex hordeo vel avenâ decorticatis, quæ cremores vulgò dicuntur, vel jusculis pullorum recentium, quibus parum vini granatorum, vel succi Citri, Ribium & Berberum sit affusum, nisi id Tussis, aut aliæ circumstantiæ prohibeant: Ab ovis, tam coctis, quam tostis, planè absteineat æger, Procedente tem-

23
pore carnes pullorum, agnorum, vitulorum, & alij cibi, qui moderati caloris sunt, admittantur, hanc tamen lege, ut probe sint cocta, neque tamen supra modum, dum adhuc corpora impura sunt, cibis praegraventur, prohibente id Hipp. l. 2. aph. 4. & 9. Quod si extenuatus nimis fuerit aegrotus, eum confuso carniū reficere convenit: Cum declinabit Morbus, & aeger convaluit, ipsi uberius & largior conceditur ciborum usus. Fugiat autem necesse est, totius morbi curriculo, saccharata nimis, item cruda & legumina omnis generis, condiant cibos mace & salvia, quae ceteris condimentis in hoc morbo palmam praeripiunt.

LXII. Potum quod attinet, quo se reficiat aeger, sit decoctum ficuum, vel hordei, cui succus Citri, Granatorum vel Ribium addi potest, Cerevisia tenuis, in qua ficus solae, vel cum semine Foeniculi incoctae sunt, reliquis ferè praefertur, & tam medicamenti, quam alimenti loco, continenter, decursu totius morbi, non infeliciter propinari potest. Ante omnia observetur, ut cardiaca, & praeceteris cornu cervi, sive crudum, sive calcinatum, in potu aegrotantium continuo suspendatur; hanc enim ratione, praesertim infantes delicatuli, & qui a medicamenti abhorrent, falluntur, ut nolentes volentes, quod dicitur, ea imbibant, quorum virtute Natura ad se juvandam fit concitatio. Vinum raro, vel nunquam, convenit, quia auget calorem, & materiam peccantem furere facit, & dum aegri caput petit, deliria, somnos profundos, sudores frigidus, & animi deliquium excitat. Post eruptionem tamen, & ubi Symptomata remiserint, pa-

rum vini oligophori conceditur; Rubrum autem vini, ob naturam stipticam, planè rejicimus.

LXIII. Tertiò. Excretiones alvi, ut ab initio, ad minimum alternis dieb. respondeant, necesse est, quod cibis concoctu facilibus obtinemus; si tamen constipatio diuturnior insequetur, quæ ad dies Sex, septem, octo vel novem ægrum molestaret, Clysteres modicè emollientes conceduntur, aut similia alia pharmaca lenia, ut sunt cremor tartari, tartarusq; vitriolatus; Infantibus externa tantum adhibentur, qualia sunt unguentum populeum cum benedictâ laxativa, vel simili, Aut sterces murium cum croco & butyro salito mistum, idq; genus alia umbilico applicanda.

LXIV. Quartò. Motus corporis etsi aliquo modo vim expultricem promovere possit, tamen utilius est, ut ægri in lecto quieti maneant, & quicquid Natura molliatur, expectent: à Practicis etiam auctoribus, ante efflorescentiam, corporis frictio, non tamen nudi, sed linteis pannis cooperti, commendatur.


LXV. Quintò. Somnus & vigilia, si moderata, boni: contra, si immoderata sunt, malum, teste Hipp. In somno enim cohibentur omnes ferè evacuationes, & caput vaporibus repletur. Progrediente autem morbo & declinante, largior concedi potest somnus, ut spiritus animales instaurentur, & vires reficiantur.


LXVI. Sexto. Motus animi, qui corpus alterant, & ejus statum naturalem evertunt, summo studio sunt evitandi: in quovis enim morbo animo benè valere, ac rebus convenienter datis gaudere, bonum est.


Contrarium vero malum. Hipp. l. 2.


aph. 33.

ἐν τῷ καὶ δόξα τῶ θεῶ.









Decorative initial letters and flourishes at the top of the page.

A NnVa zoDlaCI fInItVr Linea, traCtV
prIstIna SoL CresCens sIгна fVa Intrat, Io!
Altius ascendit gelida dum Phœbus ab Arcto
Vernalesq; facit longius ire dies,
En HELINGE, novo, tibi jam Christo auspice in an-
altius offertur nomen, honosq; simul. (no
Jam tibi Rostochiæ Charites hic nomina magni
Doctoris tradent parta labore gravi:
Grator ego: tibi non grator; sed grator honori
te nacto, tantâ dexteritate virum.
Accino plaudenti tibi pectore & apprecor ultro,
cum tuus immensum crevit in augmen honos.
Det Deus hic titulus felicem præbeat usum,
Usum det patriæ, profit & ipse tibi.

Ita ἐκ τῆς καρδίας
συγχαρμοσύνης
ἐνεκὲν ἐγχεδίασται
Excellentia tue
Observantissimus

M. Augustinus Mauritij.

B 3

Quæ

